

Nota personal. Pedro, obispo de Pamplona, dona a su hermano Nicolás, monje del monasterio de Curia Dei, la iglesia de Iranzu con sus pertenencias para la construcción de un monasterio de la Orden del Cister, que esté siempre sometido a la obediencia del obispo de Pamplona.

El texto se encuentra en:

AGN Clero Iranzu Leg. 1, n° 25. Caja 33906.

AD Cartón 1889 n° 14.

Don José Goñi Gaztambide, en la nota 350 del Catálogo de la colección diplomática de catedral de Pamplona, 829-1243, hace la transcripción adjunta.

Petrus, Dei gratia Pampilonensis episcopus, fratri suo Nicolas, monacho Curie Dei, salutem et religionis augmentum. Quoniam in monasterio Curie Dei, ubi sub regulari conversatione Deo militare elegisti pre ceteris Galliarum monasteriis monasticam religionem florere cognovimus, gaudio gaudemus et spirituali iucunditate letamur, omnipotenti Deo gratias agentes et omni devotione supplicantes, quatinus in eodem monasterio religionem et omne bonum per gratiam Santi Spiritus conservare et augere dignetur in perpetuum.

Proinde tibi et eidem monasterio, cui attitulatus es, Deo auctore, providere utiliter affectantes communi assensu et consilio fratrum nostrorum canonicorum videlicet Pampilonensis ecclesie, **concedimus et donamus ecclesiam de Irancio** cum omnibus pertinentiis suis ad edificandum ibi monasterium, in quo, Deo propitio, secundum institutionem abbatis seu fratrum prelibate Curie Dei conversatio regularis in perpetuum conservetur, sperantes et fidem plenam obtinentes, quod inde fumus aromatum ascendet ad sublimen divinitatis aram et nobis et fratribus nostris atque toti patrie gaudium et salus orietur animarum. Sancimus autem et pactum stabilimus, ut eisdem loci abbas et monachi, salua Ordinis sui dignitate et honestate, Pampilonensis episcopo obedientiam fideliter conservent necnon canonicis pampilonensibus omnem reverentiam exhibeant.

Huius rei testes sunt Garcias Prior, Guillelmus Archidiaconus, Simeon prepositus, Garsias camerarius, Fortunius archidiaconus, Simeon archidiaconus, Poncius sacrista, et Garinus infirmarius, et alii canonici.

Facta carta anno dominice Incarnationis **M°.C°.LXX°.V°I.** Ego Petrus, Dei gratia Pampilonensis episcopus, hoc privilegium confirmans manu propria hoc (signo) signum facio. Ego Garcias prior pro toto conventu hoc (signo) signum facio. Ego David scripsis.